

Primis contrahitur: maternos atque paternos  
 Addiscunt primum, quae magna est copia, cantus:  
 Dein alios quos in pagis audire remotis  
 Contigit, inque dies, siquos facundia praesens,  
 Inter eos quum factum oritur memorabile, fundit.  
 Ignoretque licet structuram carminis auctor,  
 Mensuram ad justam excudet versus tamen omnes.  
 Ex his historicus prudens et naris, ut ajunt,  
 Emunctae multa utiliter spectantia ad hujus  
 Annales populi mediocri posset opella  
 Colligere. Hi decantati pene omnibus horis  
 Ad veteres mores perlonga aetate tenendos  
 Multum contulerunt: hinc ritus non modo gentis,  
 Sed choreas ludosque remota ad tempora longe  
 Spectare haud dubium est. Vires testantur in illis  
 Corporeae, vel dexteritas; quis majus eodem  
 E septo spatium saltet, cursuque volucris  
 Quis praeverti alios valeat, praegrandeve saxum  
 Quod tolli vix possit humo, cui longius ab se  
 Victrici dabitur dextra protrudere in auras.  
 . . . . . Qui lumina casu  
 Amisere aliquo, victum sibi quaerere tali  
 Arte student, fugiuntque notam furisque malique;  
 Inque viis permulta ex tempore, nec mala fundunt  
 Ad nutum poscentis carmina. Quodque negavit  
 Horum oculis natura, id concessisse videtur  
 Ingenio; vivisque calescit imaginibus mens,  
 Ipsa colorantur queis carmina. Porro redundant  
 His veteres cantus; ratioque vel ipsa loquendi  
 Asiaca est similis. Marco de rege canentem  
 (Hunc inter primos heroas fama reponit)  
 Audisse haec memini: « Rex ipse, et regia Marcus  
 « Progenies sedet altus equo; colubro utitur uno  
 « Pro fraenis, alio cessantis terga flagellat ».

. . . . .